



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

36. Rudolphi Primi Imp. Dat. Argentinæ, Anno MCCLXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

omne bonum. Supplicauerunt Celsitudini nostræ, Venerabilis Abbas & Conuentus Sancti Maximini Treuir: fideles nostri, vt Ecclesiam & omnia bona eorum, quæ iustè tenent & possident, sub Imperialis & nostræ protectionis gratiâ recipere dignemur. Nos igitur, qui personas Religiosas, & loca Deo dicata de innatâ nobis pietate intendimus & affectamus defensare fauorabiliter, ac fouere, piis eorum supplicationibus legitime inclinati, eandem Ecclesiam cum omnibus bonis suis, quæ in præsentî iustè tenent & possident, vel quæ in antea iustis modis poterunt adipisci, sub protectione nostra & Imperij recipimus speciali: Mandantes & per obtentum gratiæ Domini & Patris nostri & nostræ firmiter præcipientes, quatenus nullus sit, qui eandem Ecclesiam, vel personas in ea Domino famulantes in bonis suis præsumat vel audeat aliquatenus temerè molestare. Quod, qui præsumpserit, indignationem nostram & Imperij se nouerit grauiter incurrisse. Actum Anno Dominicæ Incarnationis, Millesimo, Ducentesimo, quadragesimo secundo, mense Martij. Quintæ decimæ Indictionis. Datum apud Treuerim anno, mense, Indictione præscriptis.



36.

*Rudolphi I. Imperatoris, Datum Argentinae
Anno MCCLXXIII.*

Rudolphus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, vniuersis Sacri Romani Imperij fidelibus, ad quos præsens scriptum peruenerit in perpetuum. Totiens Regiæ Celsitudinis sceptrum extollitur altiùs, & ipsius status à Domino (à quo datur omnis potestas) feliciùs gubernatur, quotiens loca diuino cultui dedicata benignâ consideratione reguntur, & ad ipsorum libertates seruandas, & facultates augendas gratiosa profectio Principis inuenitur: Cum enim omnis gloria siue potentia Principatus in subditorum præcipuè consistat solidata fortunis, expediens arbitramur & concedens vt sinus

sub.

subiectis, & in Iustitiâ faciles, & in gratiâ liberales. Nouerit igitur præsens ætas, & successura posteritas, quod nos ob deuotionem synceram, qua religiosi viri, Abbas & Conuentus Monasterij Sancti Maximini, qui in Treuirorum suburbio requiescit, circa diuini cultus obsequia iugiter & frequenter inuigilant, gratiosius attendentes, pensantes quoque benignius integræ fidei puritatem, qua erga nos, & Romanum Imperium dilucidè corruscare noscuntur. Et propter hoc magnopere cupientes eorum Monasterium & in spiritualibus esse floridum, & in temporalibus opulentum, deuotis ipsorum, Abbatis & Conuentus, Supplicationibus inclinati, prædictum eorum Monasterium cum personis & rebus eidem annexi sub nostra & Imperij protectione suscipimus speciali, & omnia priuilegia, libertates, donationes, concessionis & iura à diuæ memoriæ Imperatoribus & Regibus Romani, prædecessoribus nostris vsque ad tempora Claræ Recordationis s. vltimi Romanorum Imperatoris præfato Monasterio piè ac rite concessa, eidem Monasterio Sancti Maximini, nec non personis in ipso diuino obsequio mancipatis, de liberalitate regiâ liberaliter innouamus, confirmamus & præsentis scripti patrociniò communimus: Nulli ergo omnino hominum liceat hunc paginam nostræ protectionis, innouationis & confirmationis infringere, vel eidem in aliquo ausu temerario contraire. Quod qui facere fortè præsumperit, grauem nostræ indignationis offensam se nouerit incursum. In cuius rei testimonium, & perpetui roboris firmamentum præsens scriptum exinde conscribi, & Maiestatis nostræ Sigillo iussimus communi. Data Argentinz III. Nonas Ianuarij, Indictione secunda, Anno Domini Millesimo, Ducentesimo, Septuagesimo tertio, Regni vero nostri Anno primo, &c.

